



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

49. An in dicta Bulla sint prohibitæ omnes promissiones maximè cum
verbis generalibus? Ex part. 7. tract. 4. res. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

tia adiungit suppliciter permittit, vel supplices libellos, responditque referre, libellos decreto finitos reddere, & huius generis alia, ratione quorum nihil possunt accipere; quia gratis prestare tenentur, & stipendium aliunde accipiunt; si tamen maiorem prærent operam, quam ex officio teneantur, potest aliquid hoc titulo dari, & accipi. Id enim non accipiunt pro gratia, vel iustitia obtinenda: sed pro maiori illa opera, & industria à se exhibita, dummodo neque in hoc excedatur, imò etiam si excedatur peccabitur contra iustitiam: sed non contra Bullam, ut dicebamus cum Molina in simili de stipendio Iudicis & aliorum ministrorum. Et hæc omnia docet novissime dñs P. Ioan. Dicastillus de iust. & iure lib. 2. tr. 1. disp. 5. dub. 7. a n. 208. usque ad 222. cui adde Bonacinam 10. 3. disp. 2. 9. 3. punct. 31. n. 14. & P. Leonem de cens. recol. 4. littera verb. Dantes.

4. Nota etiam quod Io. Ant. Novarius in sum. Bull. p. 2. tit. de dato, & promiss. pro. iust. &c. num. 7. docet ut huius Bullæ pœnæ non habeant locum si daretur aliquid simpliciter nullo pacto præcedente, & ad effectum specificè obtinendi aliquam gratiam vel iustitiam: Ita ille, qui ait sic fuisse decisum in Rota decis. 136. post. conf. Farinacii tom. 1. & hæc omnia superius dicta videantur penes Doctores citatos: nam in hac questione de meo nihil asserere volo.

RESOL. XLIX.

An in dicta Bulla sint prohibita omnes promissiones maxime cum verbis generalibus? Ex p. 7. tract. 4. Ref. 2.

Quamvis non plenè sup. hoc, sed ad sciendam doctrin. huius ref. lege sup. si promissio talis sit, ut moveat ad iustitiam, vel gratiam conferendam, quia Pontifex in sua Bulla prohibet pacta, vel promissiones occultas, vel manifestas verbis generalibus vel expressis conceptas, tales sunt hæc, ergo prohibentur. Bonacina verò tom. 3. disp. 2. quest. 3. 24. 25. & 26. punct. 31. n. 10. distinguit, & ait: Vel verba solum profertur urbanitatis gratia, absque animo illius obligationis sibi imponendæ, vel proferuntur animo re ipsa promittendi, seu se obligandi. Si proferuntur solum urbanitatis gratia, censetur proferentem non incurere pœnas à præfatis à Pontificibus constitutas. Si verò proferantur animo promittendi, & hoc pacto insistendi iudicem, aut gratiæ collatorem, ad gratiam vel iustitiam concedendam, arbitror promittentem ligari his pœnis. Ratio est, tum quia prohibita sunt qualibet pacta, & promissiones etiam generales, & occultæ; tum quia administratoribus iustitiæ, & collatoribus huiusmodi gratiarum nihil simpliciter debetur ex gratitudine; cum aliunde habeant stipendium, & sustentationem, nihilque de suo conferant, & obligatio ex gratitudine potius oriatur ex eo, quod quis ex mera liberalitate confert, quam quod facit, id quod ex officio, & munere suo prestare debet, tum quia huiusmodi promissiones nihil aliud sunt, quam munera in se oblata; verum est autem aliquid tradere cum tacita promissione, pro gratia, vel iustitia obtinenda. Hinc patet.

2. Primò iudicem, aliumve gratiæ collatorem, qui intuitu huiusmodi promissionis aliquid facit, subiacere pœnis istius constitutionis: nam dicitur acceptare promissionem, vel donationem pro iustitia, vel gratia; & hoc præsertim valet in iudice, aut gratiæ collatore, qui novit promittentem consuevisse verba seu promissionem opere implere.

3. Secundò patet his constitutionibus prohiberi ea verba, quæ continent generalem promissionem: ut si quis dicat: Recognoscam labores tuos, vel non ero tibi ingratus vel honestum est, ut laborans pro alio recognoscatur. Hoc tamen intellige, modò hæc verba non adhibeantur solum causa urbanitatis, aut modò non adsit intentio conferendi stipendium labori debitum. Ita Bonacina qui citat Farinacium & Boccacium.

4. Sed Dicastillus de iust. lib. 1. tract. 1. disp. 5. dub. 7. n. 189, docet esse nimis scrupulosum id quod asseritur à Bonacina, quòd illa verba generalia proferantur solum urbanitatis gratia, absque animo ullius obligationis. Nam si illud absque animo ullius obligationis, ita strictè accipitur, ut nullam cuiuscunque generis, vel minimam obligationem admittat, certè difficile apparet. Nam, cum illa verba sonent aliquid in futurum ortum ex animi gratitudine (de qua postea dicemus) non est vera & propria significatio animi grati ille loquendi modus inutilis, & vanus, qui adhiberi solet à plerisque. Illud enim genus gratitudinis, ab æquis rerum, prudentibusque æstimatoribus nihil sit, cum meræ nugæ fiat, aut inania verba: ergo si qua actio rationalis, & virtus gratitudinis exerceri debet in eo casu, debet esse verba, quæ vera sint, & significant verum animum gratum, qualis non aliter significatur, quam verbis ex animo dictis. Vnde, si ea exprimat quis in ea occasione, qua debet habere animum gratum; aliquam habet obligationem dicendi ea verba; non tantum vana, & nugatoria: sed in uno aliquo sensu nempe cum animo faciendi ea vera, licet non habeat animum obligandi, sed ex virtute Iustitiæ. Vnde erit obligatio, quasi fidelitatis, vel certè illa obligatio decentiæ, quæ resultat ex eo, quod quis alteri significaverit animum gratum, & aliqualem voluntatem ostendendi operibus ipsis gratitudinem. Cum autem sit ali-quale debitum, id, quod ex gratitudine debitum est, non est credibile voluisse Papam prohibere illam animi ostensionem, etiam si inde affligeret aliqua spes ei, ad quem ea verba dirigitur, & sub ea spe fortasse moveatur, aut impellatur ad gratiam, vel iustitiam, aut absolute conferendam, aut facilius saltem & alacrius. Neque obstat, quòd prohibita sint pacta, & promissiones, etiam generales & occultæ. Nam hæc quæ non sunt propriæ, & strictæ promissiones, & aliis ex gratitudine quodammodo debita; aut de materia, quæ quodammodo erit debita ex gratitudine (ut paulò post ostendamus) non debent intelligi prohibita.

5. Porro esse posse in his rebus materiam gratitudinis, neque esse verum, nihil ex gratitudine aliquo modo deberi collatoribus gratiæ, & iustitiæ; quin potius sæpè dignos esse, ut erga illos ea virtus exerceatur, probari facile potest.

6. Atque in primis in Collatoribus gratiarum aptè-tissime probatur. Licet enim si habeant jam suum stipendium assignatum pro munere suo exercendo, ita, ut sæpè teneantur eam gratiam ex officio conferre, & licet nihil de suo conferant, id est, de bonis suis, quibus priventur, ut alteri dent; negari tamen non potest, quòd sæpè gratiam aut beneficium, quod libere uni aut alteri poterat conferri, conferre huic potius quam illi, sit beneficium comparatione ejus, cui confertur, quem potuisset conferens prætermittere, & alteri conferre. Ergo par est in eo casu gratias ei agere. Ergo non deest ibi materia gratitudinis. In aliis verò, quæ ad Iustitiam pertinent, quamvis non distineat minus posse inveniri materiam actionis gratiarum, scilicet tamen vel in modo, vel in alacritate, aut celebritate pe tamen vel in signa voluntatis, & animi ex parte solent apparere signa voluntatis, & animi ex parte conferentis, quæ aliqualem præbent materiam ostendendi gratitudinem, quamvis res collata non sit propriè materia gratitudinis. Imò vel aliqualis similitudo, aut

aut species beneficij potest esse materia, & occasio sufficiens antidotaliter respondendi lato aliquo modo gratitudini, quamvis non sit ita propriè. Cujus rei oppositum habemus exemplum in virtute obedientie. Quamvis enim propria materia ejus virtutis sit præceptum: ad illius tamen perfectionem spectat parere, non tantum præceptis, sed signis & nutibus voluntatis Superioris citra expressum præceptum, ut omnes viri sancti, & Religiosi fatentur. Eadem ergo ratione ad gratitudinis perfectionem poterit pertinere se extendere, etiam ad minus propria beneficia: maxime cum præcipua ratio beneficij, & merita gratitudinis consistant in animo & voluntate conferentis. Et hæc omnia docet Dicastillus, ubi supra.

7. Verum absolute, & sine ulla distinctione Navarrus, quem sequitur Filiucius tom. 1. tract. 15. capite 6. num. 129. asserit promissionem factam verbis generalibus ex gratitudine non prohiberi in hac Bulla, nisi inducat super se civilem obligationem. Hæc enim grati animi significatio, & exhibitio jure naturæ debetur benefactoribus. Accedit, quod S. Pontifex non censetur velle hæc prohibere, quæ sic debentur. Deinde, quia expressio ejus, quod tacite inest, & tantum modo, quo inest, non facit illicitam rem, alioquin licitam, & significasti, de elect. & l. 3. ff. de leg. quod contingit in hoc casu, cum jure naturæ recipiens beneficium, videatur teneri ex gratitudine, ad antidota, & ad agendas gratias debito loco, & tempore.

8. Confirmatur supradicta opinio ex doctrina celebri P. Gaspari Hurtado de Inst. & jure disp. 1. de judic. forensi, difficult. 21. ubi sic asserit: Addimus à Gregorio XIII. in Bulla ab ipso edita anno 1574. mense Novembri, specialiter sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Romano Pontifici reservatæ, & sub aliis pœnis prohiberi dationem, & acceptionem munerum, & eorum pactationem, & promissionem: & acceptionem illius pro impetranda gratia, vel justitia sive pro se, sive pro alio facta apud Sedem Apostolicam in Curia Pontificia, & etiam collationem auxilij, vel consilij, vel favoris ad aliquam actionem prohibitam ex dictis. Et quia ea particula, pro, quando dicitur pro gratia, vel justitia, denotat datum munus tanquam pretium, non censetur prohibita datio muneris liberaliter facta, nec acceptio illius. Ita Hurtado, ex cujus doctrina sequitur promissiones in Bulla Gregoriana prohibitas, esse illas quæ inducunt supra promittentem obligationem justitiæ, non autem promissiones sine civili obligatione ex gratitudine & liberalitate. Et ad majorem confirmationem ejusdem sententiæ adducam etiam hic alium locum dicti P. Gaspari Hurtado ubi supra de just. & jure disputat. 3. de usura difficult. 7. ubi sic ait: Ex dictis

& constat quod qui ratione mutui ex pacto rigoroso obligavit, vel quasi obligavit ex justitia mutuatarium, ut conferat ipsi mutuanti aliquod officium, usuram committit, & si accipit, tenetur illud resignare, seu relinquere, quamvis sit Ecclesiasticum, & rigorosum beneficium, quia illud invalidè accepit, & retinet, ut de omnibus rebus usurariis, dicemus difficult. 19. quia sine titulo accepit, & retinet, quia nec titulo liberalis donationis, nec alio, imò si officium sit beneficium Ecclesiasticum, non solum committit usuram, sed fuit etiam simonia ab utroque commissa, quia tunc beneficium datum fuit, & acceptum tanquam pretium mutui, vel tanquam merx illius, in quo simonia consistit. Qui verò ratione mutui, non quasi obligat ex pacto rigoroso, seu ex justitia, sed tantum ex pacto late sumpto, seu ex gratitudine, vel ex pura fidelitate ad officium nullam committit usuram, & quamvis sit beneficium, nullam committit simoniam, nec qui sic illud accepit, tenetur ad illius resignationem. Ita Hur-

radus, unde ex suis principiis promissiones & pacta prohibentur tunc censetur prohibita, quando inducunt civilem obligationem, secus autem antidotaliter; prohibentur igitur quando efficiuntur ex justitia, non autem ex gratitudine & liberalitate. Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem Quæstionem, & aliam in superiori resolutione appositam. Ego autem tanquam Pigmæus nolo inter Gigantes etiam in præcenium ascendere, & meam proferre sententiam, ideo hæc omnia viris doctis maturanda relinquo.

RESOL. L.

An quis in incurrat pœnas dictæ Bullæ Gregor. XIII. de Dat. & Promissis, si aliquid promittat, & donet Vrbis Gubernatori, vel Burgi, aut judicibus Capitoli, vel eorum delegatis?

Et in textu hujus Resolutionis proponuntur aliqua alia, pro quibus, si aliquid quis promittat, vel donet, in illis est dubium, an incurrat, necne in pœnas hujus Bullæ? Ex p. 7. tr. 4. Ref. 3.

§. 1. **A**D hoc dubium ita Respondet Scortia in Bullis Pontificiis Epitom. 125. Theorem. 334. Porro Constitutio solum agit de iis, quæ contingunt apud Sedem Apostolicam, quo nomine Navarr. d. comm. 7. 29. intelligit Romanum Pontificem, prout habet jurisdictionem spirituales ad excludendas actiones factas apud eum ut Regem temporalem. Unde secundum eum hæc constitutio non comprehenderet eos, qui impetrant gratiam, vel justitiam à Gubernatore Urbis, Burgi, Iudicibus Capitoli, eorum delegatis, & similibus ministris: sed comprehenderet solum qui impetrant v.g. à Summo Pœnitentiario, Camerario, Vicario Urbis, Cubiculariis, Secretariis, & similibus. At Ioan. Azor. loco citato quæst. 7. rectius exponit Romanum Pontificem, quatenus spirituales, vel temporalem jurisdictionem habet, ideo hanc prohibitionem comprehendere quoscunque ministros, etiam habentes in Romana Curia jurisdictionem temporalem, quod Pontificis sit mens & intentio, non tantum à Romana Curia simoniam repellere, sed etiam ambitionem, & avaritiam. Hucusque Scortia, cujus sententiam sequitur etiam Bonacina ubi infra, cum Dicastillo, & Azorio.

2. Sed negativam sententiam Navarr. tenet etiam Molina tom. 1. tract. 2. disp. 92. & probabilior esse docent ipsimet adversarij: unde apponam hic verba Bonacinae tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 31. n. 5. ubi sic ait: Colligitur ex nostra sententia impetrantem gratiam, vel justitiam temporalem prævia promissione vel donatione apud Gubernatorem Urbis, vel Burgi, vel apud Iudices Capitoli, vel ipsorum Delegatos, apud Senatorem, Cardinalem, Camerarium, Clericos Cameræ, vel apud Summ. Pontif. quatenus est Rex; id est, quatenus habet temporale dominium, cum Sede Apostolica, seu cum jurisdictione spirituali per accedens conjunctum incurtere pœnas hujus Extravagantis: nam in nostra sententia dicitur obtinere gratiam, vel justitiam in Curia Romana, seu apud Sedem Apostolicam. Quamquam opposita sententia probabilis est, sicut etiam probabilissimum est, cum non incurtere pœnas Extravagantis hujus, qui aliquid tradit majori domus Præfecto, seu magistro domus S. Pontificis, ut in famulatum, & obsequium temporale instar aliorum famulorum, qui aliis Principibus inferviunt, admittatur; hoc enim propriè loquendo non videtur venire nomine gratiæ, vel justitiæ. Secus si intendat obtinere munus, & officium adnexum habens exercendæ jurisdictionis obligationem: nam

con